

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849,
enthaltend fol. 74a–231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.

130

128

134

124

139

119

179

079

229

029

119

sissima aqua. Tertium tempus, cum jam densior facta esset, quod dicitur connubia, orationi dedimus. Quartum tempus, quod intempesta dicitur, eo, quod nulli operi sit aptum, dormivimus quidem, sed non erat quies dormitionis. Quintum tempus, quod gallicinium vocatur, eo, quod a medio sui nocte in diem tendente galli cantant, deduximus in collocutionibus; quidam enim mecum sedens occasionem mihi dedit, quod sibi dixi perfuntorie quasi totum cursum vitae trium Patriarcharum, Abraham scilicet et Isaac et Jacob, sicut in Genesi habetur, et de Nilo et Paradiso, et magnam noctis partem sic deduximus. Sextum tempus, quod canticinum dicitur, gratissimum quieti, aurorae proximum, nos cum gudio accepimus et cum vigilia, cum eo enim luna splendescere coepit et aura in melius immutari. Hoc sentientes prae gudio inquieti fuimus, solis ortum quasi liberationem a captivitate durissima exspectantes. Septimum tempus noctis, quod dicitur diluculum, in quo solerter surgunt ad opera die jam illucescente, deduximus in precatione ad recessum et solis clariorem illustrationem exspectavimus. Et ita noctem illam egimus, qualiter autem diem deduxerimus, folio 122. vide. Nunc etiam Nilus fluvius venit describendus, ex quo prope ejus terminum sumus, ubi per illapsum maris fluvius esse desinit.

Descriptio fluminis Paradisi, Nili scilicet vel Geon aut Gion, de ejus nominibus, origine, utilitate et virtute, et antiquorum errores circa hoc.

Ende

Anfang

Nilum sanctum fluvium describere volens primo de ejus nominibus dicam; secundo de ejus origine, de ejus decursu et fine; tertio de virtutibus ejus et proprietatibus et de bestiis in eo crescentibus. Habet igitur haec nomina: quia dicitur Geon, Gen. II., multi libri habent Gion. Secundo nominatur Nilus ab Aegyptiis, Esa. 23. Dicitur etiam a Latinis quarto Nileon. Et quinto ab eisdem nominatur Melo. Igilius Astrologus nominat eum sexto nomine Eridanum, ab eventu. Nam singunt poetae, Solis Aegyptii fuisse filium, cui cum Epaphus, Jovis et Isidis filius, objiceret, non esse Solis filium, ad obtinendam filiationis fidem currus lucis temerarie impetravit a Sole patre, qui cum equos